



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 61. Impugnantur Cleri privilegia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

tii foribus affixere clanculum. At frustra erant omnia: decima soluta fuit. Sæcul. XIV.  
A. C. 1392.

## §. LXI.

*Impugnantur Cleri privilegia.*

Eodem anno Cleri privilegia oppugnabant Viri tres apud Regem maxime valentes gratia, nempe summus rei bellicæ Præfectus Oliverius Clichionius, Burræus Riverinus, & Joannes Mercerius Noviantii Dominus. Palam in consiliis negabatur, Imperatorem Constantinum potuisse S. Silvestro profanum Romæ principatum cedere: improbatur, Ecclesiasticos tenere potestatem curandi justitiam profanam, præsertim in causis capitalibus, contra jus Principis, cujus esset punire improbos. Demum jactabantur querimoniæ de privilegio clericatus, quod Episcopi etiam illiteratis concederent hominibus, ut auferrent jurisdictionem ecclesiasticam. Has propositiones fulciebant quidam Doctores e numero Fratrum mendicantium, qui nulla habebant jura, vel territoria, & quorum potius intererat ea possidentium vires frangere.

Executionis initium in Normannia factum, ubi Judices profani jussi sunt reprimere Præsulum molimina, horumque adjutoribus graves irrogare multas.

Tum

*Labour l. 12.  
c. 2.*

Sæcul. XIV.  
A. C. 1392

Tum Universitas sub festum SS. Triadis diem 9 Junii congregata statuit Cleri corpus, cujus pars esset, defendere communis emolumentum causa. Ad Regem non admittenda cessavit a lectionibus: cumque propterea extranei magno numero Pariliis abirent, neque id Aulam tangere videretur, rursus convenit Idibus Juliis, Rectoremque, ac eximios Viros viginti ad Regem misit. Quamvis se profecturo huic Principi faustum precaturus iter perhiberent, ægerrime tamen impetrata eum alloquendi copia, cum Doctor omnium nomine dicturus inciperet orationem suam, Cancellarius Arnaldus Corbejensis sua de sede surgens agebat: Rex probe callens causam accessus vestri vult vos labori parcere, nec postulare rem, quam vobis concessisset, si privilegia citius novisset vestra. Scilicet timebatur, ne hic Doctor erga Aulam parum officiosus res Regi, ac Ministris ejus ingratas de origine regie in Clerum authoritatis diceret. Rex omittas lectiones leviter perstringens, ut eas resumerent, imperabat. Spondebant, ac lætissimis discedebant animis.

Iter, ad quod se comparabat Carolus, spectabat ad bellum inferendum Britannie Duci Petrum Credonensem protegenti, cum hic summum rei bellicae in Gallia Praefectum Clichionium Parisiis per insidias interficere voluisset. Rex Cenomano  
egres.

*Froiss. 4. vol.*  
6. 38. 43.

egressus, cum iter æstuosissimo die face-  
ret, per phrenesin perdidit mentem, & gla-  
dium manu tenens fratrem suum, & in  
quos incidebat, omnes insectabatur. Quo  
ex morbo, qui dabat intervalla, cum nun-  
quam satis convalesceret, ejus tres pa-  
trui, Burgundiæ, Biturigum, & agri Bor-  
bonii Duces administrandum denuo re-  
gnum suscipiebant.

## §. LXII.

*Carthusiani ad conciliandam Ecclesiæ  
concordiam adhibentur.*

Sub Natalem Domini duo Carthusiani  
Regi Carolo attulerunt epistolam Pa-  
pæ Bonifacii adhortantis ipsum ad navan-  
dam tollendo schismati operam. Erant  
forsitan iidem, qui ordinis sui exemptio-  
nem Romæ poposcerant, & impetrarant:  
ut docent Bonifacii litteræ, in quibus ait:  
Traditus est nobis supplex libellus vester  
memorans esse aliquos, qui propriam in-  
stituto vestro contemplationem, & tran-  
quillitatem turbent ad sua vos tribunalia  
evocando, quamvis Ordo vester pridem  
sit habitus ab Episcoporum jurisdictione  
liber, ac Summæ Sedi proxime obnoxius.  
Ut removeatur obtentus omnis, sub quo  
molestia vobis in posterum exhiberi posset,  
denuo cupientibus eximi per singularem  
gratiam nostram annuimus. Suo loco vi-  
dimus, Carthusianos ab origine sua exem-  
ptio-

Sæcul. XIV.

A. C. 1392.

Bullar. to. I.  
Bonif. const.Sup. l. 67.  
§. 56.